

ut directe cacumen gradus latitudinis supra eundem horizontalem circulum appareat, & hoc ex septentrionali parte alvei, & additamento armillæ meridianæ adiecto ad horizontis polum rectissime; huic annectanda erit quarta altitudinis. Circulum uero positionis sectionibus communibus horizontis & meridiani affige, & erit aptus pro omnibus infra dicendis, exceptis inspectionibus & obseruationibus quæ in sole & stellis fiunt. Nam si obseruare uelles stellas uel solem per hunc globum: locabis globum sic dispositum cum alueo ad quatuor plagas mundi, comparsi horarij amminiculo, uel aliquo alio ingenio, & erit etiam orthogonaliter super planum aliquod erigendus; ita quòd in neutram partem declinet, & erit dispositus pro obseruationibus.

Locum Solis prope uerum, per diem mensis datum, faciliter inuestigare.

CAPVT TERTIVM.



**L**O C A B I S pedem quartæ altitudinis super horizontalem circulum ad diem mensis, & quemcunq; gradum Zodiaci idem pes attigerit in horizonte; ipse est gradus Solis illius diei. Qui cuius sit signi, & quotus eiusdem, ibidem recte intuenti patebit. Sed in anno bisextili opus erit cautiuncula quadam: quia in bisextili Februarius, 29. diebus constat. Quæ dies, 29. quærenda erit prima Martij, & prima Martij erit quærenda secunda Martij, & sic usq; ad calcem anni. Exempli causa: Si pedem quartæ altitudinis ad diem, 10. Martij locauro supra horizontem, inuenio 29. gradum Piscium huic correspondentem; locum uidelicet Solis ueritati propinquum. Si uero idem annus esset bisextilis, accipiendus esset, 11. dies Martij pro 10. eiusdem mensis, id est, locus Solis undecimi diei, esset locus decimi diei illius mensis.

Hoc idem aliter absq; notitia diei præsentis, sed Sole radiante inuenire.

CAPVT QVARTVM.



**G**L O B O ad uerum situm tuæ regionis disposito, iuxta præceptionem capitis secundi, expecta donec Sol lineæ meridianæ applicuerit: quod per armillam ipsam meridianam globi faciliter ex umbra eius directe supra globum cadentis percipies; deinde applica arcum anguli sphericæ lineæ eclipticæ, superficiem uero planam eius orthogonaliter erectam, applica superficiem armillæ meridianæ in ea parte ubi sunt gradus & numeri graduum eiusdem armillæ, circumuoluendo globum: alueo semper permanente fixo, ita tamen, ut angulum sphericum lineæ eclipticæ & ascendendo & descendendo applices, donec radius Solis per foramina anguli sphericæ super eclipticam ceciderit: gradus namq; eclipticæ tunc radio Solis illustratus, est locus uerus Solis, quem eo tempore quæris. Illud tamen notabis, quod eam globi medietatem ipso Soli obijcere studeas, quam Sol idem eo potissimum tempore in Zodiaco, ab altero solstitialium punctorum incipiendo pererrauerit, utpote: si in medietate à capite Cancri initium sumente, graditur tunc eadem globi medietas, Soli utiq; opponitur. Quod si reliquam Zodiaci medietatem peragraré contigerit, pars etiam globi reliqua, Solem recte intuetur.

Diem